

ret mittere festinabat, quorum partem, positis insidiis apud rivum, qui dicitur Sanguinarius [A], Faventini occiderunt; alios vulneratos et semivivos ad regem mittere minime formidaverunt. Sed postquam rex suum liberavit filium, et ~~canctos~~ a finibus Apulie penitus eiecisset Græcos, cepit inquirere, quo modo Faventinos, pro injuria sibi illata, posset perdere. Verum quia, multorum relatione, intellexit civitatem fore inexpugnabilem, viros fortes [a] et bello acerrimos, consilio sagacissimos, multum in armis et urbis fortitudine confidere, et quia palam non potuit [b] opprimere, statuit insidiis et arte ad effectum perducere [b] [B].

Quando imperator Constantinus Constantinopolim ^{edificavit}, quae alio nomine, retro tempore multo, Bizantium vocabatur.

CAP. II.

Anno a Virginis partu CCCXXV. Postquam autem Constantinus Augustus habuit bellum Scytharum [c] et victoria celebrata, cum esset in partibus Thraciarum, in civitate quae Bizantium vocabatur, vidit visionem magnificam dormiens, in qua oblata ei fuerat mulier anicula [d], jam mortua; et dicebat ei sanctus Sylvester episcopus [e]: 'Fac orationem, et suscitabis eam.' Orante autem Constantino imperatore, illa anicula surrexit, et facta est iuvenula pulcherrima [f], et placuit in oculis Constantini casta contemplatione; et induit eam chlamyde sua, et diadema suum posuit super caput ejus, quod optimum habebat. Helena autem mater sua dicebat: 'Haec tua erit, et non morietur, nisi in fine mundi.' Et vigilans [g] autem narravit universis amicis suis visionem, et omnia, quae [h] excogitabant, non erant accepta in auribus ejus [i]. Tum posuit se Constantinus in oratione, et jeiunio, dicens ad Dominum: 'Non cessabo jejunare, Christe, filii Dei, donec visionem, quam mihi per famulum tuum Sylvestrum ostendisti, aperias.' Septimo autem die [k] iterum apparuit ei in visione sanctus Sylvester episcopus, dicens: anus decrepita [l], haec est civitas in qua tu moraris, nomine Bizantium; cujus et muri prae vetustate consumpti sunt, et pene omnia ejus ruina corruunt [m]. Ascende itaque illum

E. H. 1. 11. 2. 17.

[sui jeiunii idem]

[a] Viros fortes, C. V. In C. M. muros, sed recenti atramento videtur ab imperito quodam interpolatum fuisse. — [b] Ad effectum perducere. Continuationem habes in cap. IV seq. — (c) Scytharum, C. V. In C. M. prima tantum et ultima syllaba apparet, unde non defuit qui legerit secundum. Prior lectio tamen probanda, quia in propatulo est, Constantinum anno 316 per Gallicanum ducem cum Scythia, et aliis Thraciae populis revera bellum gessisse. — [d] Anicula, C. V. In C. M. semper annicula. — [e] Sylvester episcopus, sic codd.; episcopus pro Pontifice. — [f] Iuvenula pulcherrima. In C. M. pulcerima. — [g] Et vigilans, sic C. M., invigilans C. V. — [h] Amicis suis visionem, et omnia, quae: sic Cod. V. In C. M. amicis suis dicens somnia quae. — [i] Accepta in auribus ejus, C. M. et C. V. — [k] Septimo autem die, C. V. In C. M. sic: VII autem die. — [l] Anus decrepita, sic C. M. In C. V. descripta. — [m] Pene omnia ejus ruina corruunt, C. V. In C. M. verba haec ita vetustate sunt consumpta, ut nec conjectum aliquid veri assequi liceat. Legit tamen Cl. Mitt. sic: et petrae ejus, et ejus moenia corruunt.

[A] Qui dicitur Sanguinarius. Sanguinari nomen obtinuit multo post, ut alibi videbimus, Tolosano ipso teste.

[B] Continuationem vide ad Cap. IV.